



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo

Spirens., 1660

16. An praeventus à Iudice competente per citationem in loco contractûs,  
forum illius in ea causa declinare poſsit: & quid de Clericis, quos ante  
mutationem status sententia occupavit in loco ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**

rendum personaliter per citationes, aut censuras compelli non possit. *cit. §. contrahentes. ubi Anchar: Innocent: Abb. & alij.* Si autem requisit<sup>o</sup>, ceu citatus contumaciter non compareat, neq; satisfaciat, fieri potest missio in bona eius, si quæ in loco contractus habeat, juxta *cit. §. contrahentes: & Donell: cap. 14. com: 14. & 15. Gail: 2. observ: 36. n. 14.* Sin minus, decernetur missio facienda in bona alterius Diocesis aut territorii, ad requisitionem Judicis Ordinarii eiusdem loci. Id verò solum discrimen est inter subditum ratione delicti, & subditum ratione contractus, quòd ille spectato communi jure remittendus sit ad Judicem delicti, si sub eodem Principe sit, at verò in contractibus non est locus remissioni.

16. Dubitabis de eo, qui per citationem à Judice competenti in loco contractus præventus est, forum illius in ea causa declinare possit? *Respon: Negativè, & constat ex cap. proposuisti. 19. de foro compet.* ubi expressè: quòd legitime citatus tenetur coram Judice citante causam proficui, non obstante quod post citationem  
forum

forum mutaverit: quia ubi Judicium cæ-  
 ptum est, ibi finiri debet. *L. ubi acceptum.*  
*30. de jud: & patebit ex dicend: tit. de litis cont.*  
 Itaq; etiam si aliquis solum per accidens,  
 videlicet ratione contractus aut delicti  
 subjectus sit, si tamen dum in territorio  
 existebat ab Ordinario loci citatus fuerat:  
 postea egressus, iterum citari, atque etiam  
 absens ob contumaciam excommunicari  
 potest. *Felin: in cit. cap: ult. de foro comp. n. 4.*  
 Quod non procedit in subdito ratione  
 domicilii: tamen si enim hic solo egressu  
 ex territorio, animo mutandi domiciliū,  
 jurisdictione liberetur: *per cap. proposuisti.*  
*h. t. ex com. DD. Abb: n. 7.* excipi tamen de-  
 bent hi casus. I. Si citatione præventus  
 sit, antequam egrederetur. *cap. proposuisti*  
*cit.* II. Si in loco domicilii contractum  
 instituerit; tunc enim in actoris optione  
 est illum cōvenire in loco domicilii prio-  
 ris, vel posterioris, præterquam si quis u-  
 nâ cum jurisdictione; etiam statum mu-  
 tet, videlicet Clericus ordinetur, vel Re-  
 ligiosus fiat. *Felin: cit. cap. proposuisti, num. 1.*  
 tum ratione contractus antea instituti, si-  
 militer ratione delicti commissi ( dum-  
 modo

modo à Judice sæculari per citationem præventus non fuerit.) coram Ecclesiastico Judice conveniendum esse docet *Laym. lib. 4. tr. 7. cap. 4. q. 3.* Sed probabilius tenemus laicum patrato delicto factum Clericum aut Religiosum, etiam animo subtrahendi se à foro sæculari, & cum injuria Judicis sæcularis, à quo per citationem præventus est, fieri subditum Judicis Ecclesiastici, non autem sæcularis: quia videtur id decisum in *L. qui cum uno. §. reus. ff. de re militari:* ubi habetur, quod *capitalis criminis accusatus, si efficiatur postea miles à Judice militia puniri debet.* idemque habet *L. qui postea. ff. de judicio.* Hoc ergò posteriori longè jure procedere debet in Clericatu, quo quis cœlesti militia sese adscripsit: & confirmatur opinio nostra exemplo confugientis in Ecclesiam delicto commisso, etiam factâ accusatione citatione &c. cuius Ratio est: quod utantur jure suo, & privilegium exemptionis à foro sæculari absolutè & sine ulla restitutione favet Clericis: ut proinde ubi lex non distinguit, neq; nos distinguere debeamus. *L. de pretio ff. de public. in rem act.*